



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Ex Gerardi Noviomagi Geldenhaurij Batavia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

125

EX BATAVICA
HISTORIA

GERHARDI GELDENHAVRII
Nouiomagi.

MULTIS ante CHRISTVM
natum annis, Bato Regis Cat-
torum filius, nouercalibus pe-
titus insidiis, à patre discessit,
nobili gentis suæ iuuentute, &
haud mediocri popularium numero eum co-
mitantibus.

Erat autem Bato, statura procera, forma
conspicua, fortis viribus, militaris rei peri-
tissimus, aditu facilis, ac in primis summus
popularium suorum amator.

His regis dotibus vt nouercam in odium,
ita bonam Cattorum partem, in sui amorem,
pellegerat.

Secessus verò sui mense secundo, Rhe-
num eò loci, vbi in duo quasi cornua diui-
ditur, cum suis omnibus traiecit, legatosq;
ad Menapium Tungrorum Regem socerum
suum misit, orans vt genero consulat, quo-
nam in loco minima cuiusuis iniuria consi-
dere posset.

Tungro-

Tungrorum rex, ubi legatos audiuit, Mosam traiecto ad Batonem properat, quem sibi occurrentem amplectens in arcem Magum, quæ ad Mosæ ripam est, excepit, & secessus causa comprobata consilium dat, ut ab eo loco ubi Rheno traiecto confederat, ad Mosam Vahalique confluentem usque regionem cultoribus vacuum occuparet.

Quod quum Bato seniorum nobilitatisque consilio, genti suæ indicasset, Tungri consilium approbant, & in Rheni ripa casas erigere cœperunt.

Bato verò, socero ad Tungros reuerso, haud procul à Mosâ in conspectum Magi, arcem extruxit, quæ conditoris nomen Batoburgum in hunc usque diem retinet. Eodem tempore & Cattuicus aliquot passuum milibus supra Batoburgum, in veterum consanguineorum memoriam edificari cœptus.

Quum autem Rheni ripa, & quicquid agri inter Mosam & Vahalim (quæ Mosaualia dicitur) tantæ multitudini non sufficeret, Insulam etiam intra Rhenum Vahalimque sitam ad Oceanum usque inhabitare cœperunt, Batauorumque insulam nominant. Et sicut in Mosaualia Cattuicum terminum regionis esse placuerat, ita & eiusdem nominis ad Oceanum quoque pagum constituere.

Et ne

Et ne in Insulam facilis patèret traiectus, in initio ipsius arcem construxere, quam Loepeckam, id est cursus angulum nancuparunt.

Cùmque Bato summa equitate præset, & non paucos vicos, pagos, municipia & arces extrueret, eas nobilitatis suæ nominibus appellandas curavit.

Tandem regij alicuius palatij construendi consilium capit, in quo tam Insulanis quàm Mosaualianis ius dicere commodè possit. Quùmque iubente rege, architecti totam Batauorum regionem diligentius perlustrassent, indicant se collapsæ cuiusdam arcis vestigia, in editiore colle, qui pro ripa Vahali adiacet, paululum infra eum locum ubi primum traiecto Rheno castra locarant, vidisse, quo regia adificanda, iuri dicendo, ditioni tutanda, nullus esset aptior. Inquiri Bato à Tungris, quisnam arcis illius fundamenta olim iecerit. Narrant ij, potentissimum olim Galliarum Regem Magum, Ditis filium, ibi nominis sui arcem adificasse. verùm illius filios in interiorem Galliam abeuntes eam neglexisse, & iam à multis annis nemini inhabitatam esse. Animatus hoc responso Bato, locum adiit, indeque superam Insula partem prospectans & à sinistris agrum fertilissimum, à dextris verò, collium, vallium, sylvarumq̃

uarumq̃

uarúmque amœnitate, ac fontium scaturigine captus, restaurari, & muro triplici ornari simul & muniri, eamque Nouiomagum ab innouatione dici iussit.

Mortuo Batone, filius ipsius Hesus, Batauorum rex, totius gentis acclamatione saluatus, Nouiomagum, ubi natus erat, mirum in modum domibus auxit, ita ut inferior oppidi pars, ipsius nomine, Hesi mons in hac vsque tempora vulgo dicatur.

Post hac communi Batauorum consilio Nouiomagum regia & caput gentis constitutum est; cœpitque Batauorum nomen, non solum per vicinas Galliarum regiones, verum etiam per Italiam & longius distitas prouincias celebrari.

Mos quippe Batauis erat, iuuentutem quæ ab agris colendis vacabat, militari & in primis equestri disciplina exercere, atque ita exercitos in exterarum regiones ad stipendia faciendam mittere.

Itaque factum est, ut bello Mithridatico aliquot Batauorum cohortes, sub Lucio Casare, tum Achaia proconsule, patre Iulij Caesaris, militarent unà cum Carolo Inacho Tugrorum regis filio. Horum tanta virtus & fortitudo fuit, ut Senatus populúsque Romanus Regem & gentem Batauorum amicos
Senatus-

Senatusconsulto ac plebiscito declarauerit.

Iulius autem Caesar mortuo patre suo, Batauorum cohortes in summo honore semper habuit, hos corporis sui custodes constituit, his primam Aquilam in dubiis bellis credidit, horum potissimum opera Britanniam subegit.

*Durante etiam bello Gallico, Caesar No-
uiomagum usque descendit, & in amicitia
sua erga Batauos memoriam, arcis partem
qua Vahali imminet, Romanorum more per
suos architectos & fabros, aduersus aquarum
impetum muniri fecit, ab ipsoq; ea structu-
ra, domus auxiliaris Batauicè, Dat hufz ter
hulpen, nuncupata est.*

*In bello verò Ciuili, Batauorum cohortes
Pompeianos vicerunt & Pompeium in fu-
gam verterunt.*

*Mortuo Casare dictatore, fidelissimi in
Romanorum amicitia ad Vitellij imperium
usque Bataui perstiterunt. Augustus quo-
que Octavius in comitatu suo multis annis
eos detinuit, & Tiberius corporis custodes
delegit.*

*Sub Druso verò & Germanico, strenuam
Romanis operam pace belloq; iam clari, na-
uarunt.*

*Regnante autem Caligula, nonnihil tam
I insani*

insani principis imperium detrectantes, Romanis restiterunt.

Sub Claudio, reddita illis pristina libertate ac dignitate, crebris per Britannias vicloriis claruerunt.

Neronis verò, ac matris eius Agrippina, corporis custodes veteri more constituti, tandem à Galba contumeliis affecti, in patriam rediere.

Vitellius Caesar, quum Batauorum fortitudini, victos Othonianos, acceptum referre deberet, beneficiorum immemor, luxu & auaritia praefectorum suorum, eos ad defectionem adegit. Hinc atrox bellum inter Batauos & Romanos exortum est. Manente hoc bello, Nouiomagum Batauorum oppidum, ab ipso gentis duce, quia id aduersus hostes defendere nequibat, succensum est. Tandem aequis conditionibus ab armis discessum, manente Batauis apud Vespasianum & filios eius, veteri gratia & auctoritate.

Sub Hadriano Augusto rursus corporis custodia adhibiti, quum multis Augustis & fidelissimi & gratissimi fuissent, imperante Septimio Seuero, libertatibus & honoribus ornati in Britannis (vt olim) saepe felicissimè pugnarunt. Quàm grati Seuero fuerint, satis declarant vetustatis Monumenta,

mea

mea etate eruta, non procul à Legia oppido, quam à legionibus quæ ibi castra habuerunt, denominatam verisimilis coniectura est. His hæc inscripta erant:

IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS
SEVERVS AVG. ET M. ANTO-
NIVS CÆS. COH. VOL. ARMA-
MENTARIVM VETVSTATE CON-
LAPSUM RESTITVERVNT SVB
VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR.
PR. CVRANTE CÆCIL. BÆTO
PRE. GENS BATAVORVM AMI-
CI ET FRATRES ROMANI
IMPERII.

Constantio autem Cæsari, ac Constantino, qui postea Magnus dictus est, in Britannia olim commilitones Bataui, magnum momentum ad imperium Romanum obtinendum attulerunt,

Nec Iuliano in pugna Argentoratensi auxiliatrices Batauorum turbæ defuerunt, sed ipsius exercitui in pugna laboranti animum addidere & victoriæ causa fuerunt.

Post hæc tempora, Barbaris nationibus Romani imperij provincias incursantibus, Bataui agrè patriam suam tutati sunt.

Tempore verò Pipini Francorum Ducis,

Danis & Frisiis fortiter aliquandiu resistentes, tandem hostili vi coacti sunt Francorum & Regem & religionem suscipere, manente tamen non solum ea libertate, qua à Caesaribus donati erant, verum etiam multis modis aucta.

Carolus autem magnus Nouiomagum arcem collabascentem reparauit, & sacellum, quod ibi Diis Manibus à veteribus consecratum erat, Christo Seruatori, per Leonem Romanum Episcopum consecrari fecit.

Ædificauit & in hac arce tribunal (quod ibi mea ætas vidit) in quo crebro inferioris Germaniæ populis ius dixisse legitur.

Regnante Ludouico Pio, Nortmanni classe Vahalim ingressi, totam Insulam deuastarunt, & Nouiomagi regium palatium miri operis & magnitudinis exusserunt.

Carolo autem Caluo rerum potente, Batauorum gens trifariam diuisa est. Inferior enim insula pars qua mutato nomine, Holtlandia à Frisiis dici cœperat, partim Episcopi Ultraiectini, partim aduentitij cuiusdam principis, iussa facere, iubentibus Francici sanguinis Caesaribus, volens nolens coacta est. Hinc crebra bella exorta sunt, qua si quis legere volet, habet Holtlandorum Ultraiectinorumq; Historias. Superior autem
Insula

*Insula pars, quæ Batauicum nomen retinet,
& Nouiomagum caput gentis, multis annis
sub Cæsaribus libera mansit.*

*Fridericus verò, primus huius nominis
Augustus, Batauorum libertatem auxit,
arcem Nouiomagum instauratam muniuit.*

*Vicini autem principes horum libertati
inuidentes, arte ipsis nota Guilhelmo ex
Holtlandorum Comite, Romanorum Regi,
impudentioribus precibus persuaserunt, ut
Ottoni Gelriæ tum Comiti, Nouiomagum &
quicquid illius iurisdictionis erat, pro ma-
gna, quam ei debebat, aureorum summa, pi-
gnori daret. Quod Batauis Nouiomagisq;
frustra contranitentibus, Guilielmus fecit,
& Rodolphus post eum Cæsar factus, ratum
habuit.*

*Hæc rerum omnium vicissitudine factum
est, ut Insula quondam nobilissima ac poten-
tissima, in multas ditiones discerpta, sub
quodam seruitutis iugo depressa iaceat.*

*Hæc sparsim Batauicè scripta, utcumque
Latina feci, & in hunc ordinem redegi. Se-
cutus autem sum Historias Ducum Gelriæ,
quas clarissima Princeps Catharina filia
Arnoldi Ducis Gelriæ patri meo Gerardo do-
no dederat, & Historias Ducum Cliuen-
sum, quæ fuere Adolphi Ducis Cliuen-*

sis, qui vulgo à Rauesteino dicebatur.

Restat ut de præcipua Batauorum Nobilitate, cuius progenies hodie quoque floret, pauca addam.

Vetustissima inter Batauos nobilitas est Heroum Herculanorū, qui genus ab Hercule Alemanno totius olim Germania rege, ducere asseruntur. Ab his originem trahit Gelriorum Dux Carolus, Comites Egmondani, Florentius Comes Burensis, principes etiam ab Hocklem, ab Aspera, & multi alij minoris nominis.

Maiore generis nobilitate Egmondani gloriantur, sed ij quum à Frisiorum regibus stemma deducant, inter veteres Batauos numerari non possunt, licet Herculanis affinitate iuncti, iam primas inter Batauos obtineant. Horum etiam caput & princeps est Carolus Gelriorum Dux, cuius paternum stemma ab Herculanis & Egmondanis progressum habet.

His accedunt Batoburgij nobilissimi planè Batani, qui & Bohemorum Regibus & Columnensium Romanorum affines & consanguinei, non multum infra maximos principes nobilitate & fama descenderunt.

Lunata præterea Wassenariorum insignia, circa maritima in Batauis, principens

pem eos locum obtinuisse, indicant.

Supersunt Brerodani, sed horum nobilitas non à veteribus Batauis, sed ab Holstlandorum Comitibus orta est.

Hæ sunt ferè insigniores hac etate Batauorum familia, verùm minorum opum & fame, tot sunt inter eos nobiles, ut difficile admodum fuerit, si quis vel nominatim adnotare velit, quorum quum in Hollandica Historia crebra fiat mentio, hic nihil addemus.

Collegimus autem ex veteribus, primique nominis Historicis quædam Batauorum gesta que clarissimorum Scriptorum verbis, indicibus præscriptis, bona fide, his adiunximus. Neque te moueat lector, quòd nonnulla que Germanis generaliter adscribuntur, solis Batauis tribuamus; auctoritatem enim & Batavicae Historie, & magnorum virorum exempla hac in re sequuti sumus. Lege & diligenter diiudica, quisquis es, qui hæc in manus sumpseris, & si à vero alicubi errauimus, candidè admoneas.

FINIS.
Collegii Societatis H. S. Paderbornæ
1697
Johs G. Kloppenburg S. S.

